



Nobilissimo viro Constantino Huygens, Domino
de Zuylichem, equiti,

Petrus Cunaeus S.D.

Vir nobilissime, literas tuas ante aliquot dies ex
castis ad me scriptas tradidit mihi iuuenis natalibus
atque indole eximius fridericus Dorpius, quibus perhumaniter
id a me petis, quod ut iure tuo imperare mihi poteras,
ita ego etiam sponte nullius rogatu facere soleo. Quid
enim est cur non libens ope consilioque subleuem eum,
qui praecleara omnia in spe habet, et honesto ardore in eas
artes fertur, ex quibus ad familiae splendorem uera nominis
atque existimationis accedit dignitas? Ego uero
polliceri tibi audeo, quidquid apud me est, quod prodesse
optimis eius conatibus possit, id illi promptum et paratum
apud me fore. Scio equidem in his, qui ea domo et
fortuna nati sunt, rarum esse, ut bonae menti uacare,
literasque nostras et iuris ac legum studia sequi
uelint uel e longinquo. Sed eo magis amittendum
mibi fuit, ut praestantem hanc indolem his disciplinis
deditam impense amplecterer. Neque uero is sum,
qui existimem aliquid eo nomine mihi deberi.
Quotiescunque enim id facio, non id gratiae apponi uolo,
sed totum hoc moribus meis tribuo, neque aliud
eius rei habeo pretium, nisi fecisse. Caetera, quae
literis tuis continentur, beniuolentiam in me tuam
omni ex parte significant. Nihil circuitione
utar, uir nobilissime. Statim ut ea uidi, piguit
memet ipsum mei puduitque, qui tibi summa et
inuisitata eruditione atque alijs plurimis illustribus
uirtutibus praedito, ad quas te excellens natura tua
armanit, nunquam hastenus obseruantiam meam
ullo officij genere testatus sim. Quod igitur superest,
omnino in posterum nomen meum profitebor inter eos,
qui te colunt: atque adeo efficiam hercle, ut
te decus eruditorum esse et nunc intelligant homines,
et in posterum memoria teneant. Nihil porro
insolenter faciam, neque te rogabo, ut animum eum
erga me retineas, quem habere coepisti. neque enim
feri poterit, ut desciskas ab humanitate tua, aut
ipse te retexas. Vale. Lugduni Batauorum
12 Nouembr. 1633.



133



134

Edelle, antker, Wjfe, Sal
vooridrigge gader,
Mijn gader Constantijn Huygens,
gader by Zijlicfom, viddel,
secretaris by zijn Exceel.
de priin by Oranije
is Sgravenfage.

franco.